



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Christianus II. Dei Gratia, Dvx Saxoniae, Sacri Romani Imperii
Archimarschallus & Elector, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, &
Burggravius Magdeburgi, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Christianus II.
DEI GRATIA,
DVX SAXONIÆ, SA-
CRI ROMANI IMPERII AR-
chimarshallus & Elector, Landgravius Thu-
ringiæ, Marchio Misniæ, & Burggravius
Magdeburgi, &c.

*Omnibus ac singulis Prelatis, Co-
mitibus, Baronibus, totiq; ordini equestri, nostræ
pariter & Episcopatum, Misnensis, Numbur-
gensis, & Merseburgensis Iurisdictioni subiecto,
capitaneis item & officialibus, maxime verò Su-
perintendentibus, Pastoribus & Ecclesiarum mi-
nistris, salutem nostramq; clementiam.*

Reverendi, Illustres,
Nobiles atque strenui, nec
non Venerabiles, Nobis fi-
deles ac devoti: iam inde
ab aliquot annis certiores
sumus redditi, traduci pas-
sim nostrarum prouinciarum Ecclesias &
Scholas apud exteros, ac si in ijs, quouis ferè
septennio, fiat aliqua Confessionis mutatio
Quod equidem auditu eò molestius acci-

dit Nobis, quò tenemus exploratius, & quò
facilius planum facere possumus, religiosis-
simos ac laudatissimos nostros Maiores, pia
sanctaq; recordationis, inde à primo initio
repurgatæ doctrinæ, posteaquam Deus lu-
cem Evangelicæ veritatis, in hac inclinati
mundi vespera, per Ministerium selecti sui or-
gani, Do. Martini Lutheri, misericorditer ac-
cendit, eamque ex indubitato suo verbo
puram & incorruptam benignissimè largi-
tus est, confessionem suam nunquam mu-
tasse, sed inuicta planè constantia, in illa
quæ Anno 1530. Carolo Quinto Cæsari, to-
tiq; Romano Imperio semel exhibita est,
Confessione, omnes ordine Electores per-
stitisse, pioque zelo eam propagasse, aliquos
etiam illius asserendæ studio multas pertu-
lisse molestias, & magnos fecisse sumptus:
ita quidem, vt laus constantiæ in vera Re-
ligione nullo iure eis derogari possit aut
debeat.

Simul verò & hoc cognouimus, extitisse
quosdam homines bilingues & falsiloquos,
qui ad Illustrissimum suum Magistratū ver-
bis quidem speciosè iactarint, quin etiam i-
uramentis temerè conceptis asseuerarint,
se puræ & inuariatæ Confessioni Augusta-
næ, contra omnes corruptelas & fanaticas
opiniones, tam Calvinistarum quàm alio-
rum sectariorum, esse addictos, qui tamen

postea

postea deprehensi sint, quòd dogmata falsa
& erroneas Sacramentariorum opiniones
occultè foverint, & per suos complices frau-
dulenti doli & machinationibus furtim
inuehere, inscioque ordinario suo, ac diui-
nitùs constituto Magistratu, dissemina-
re ac propagare totis viribus contende-
rint.

Hoc genus hominum excitauit quidem
nonnunquam turbas & distractiones in ha-
rum terrarum Scholis & Ecclesijs, quæ sem-
per tamen, per Dei gratiam, à Christiano
Magistratu consopitæ rursus sublatæque
sunt, quamprimùm is de malignis istorum
tenebrionum molitionibus certior est fa-
ctus.

Quoniam ergo Deus ipse hoc tepidum
genus hominum, quod nec frigidum est nec
calidum, seridò detestatur, & minatur illis, quòd
ex ore suo illos velit eiecere: idcirco & Nos
confestim, inito Magistratu in hanc curam
incubuimus, vt omnes nostri Consiliarij, Au-
lici, Capitanei, Officiales, & reliquis mune-
ribus præfecti, præstarent iuramentum Reli-
gionis legitimè delatum, & fidem darent,
quòd vnà nobiscum in prima inuariata Au-
gustana Confessione, quemadmodum ea
Anno 1580. in Libro Concordiæ Christi-
anæ repetita, declarata, & aduersus omnis
generis corruptelas accuratè munita est.

πὺρ Θεῶν, firmiter ad finem vsque vitæ suæ per-
seuerare velint. Quam quidem rem præme-
ditato & omni ex parte probè deliberato
consilio suscepimus, hoc nimirum fine, vt
isto salutari medio, Deo iuuante, conatibus
improbis fraudulentorum illorum hominū,
qui clandestinis molitionibus talem nostris
prouincijs apud exteros maculam asper-
gant, efficaciter obsisti queat.

Scimas etiam (Deo sit laus & gloria) quòd
Illustrissimi Principes ac Domini, Dominus
IOHANNES GEORGIUS, & Dominus
AVGVSTVS, duces Saxonix, fratres no-
stri exoptatissimi, nobiscum in hac causa
religionis, vt & alijs, per omnia consen-
tiant.

Vt igitur pium hoc & verè Christianum
opus, etiam porrò sartum tectum conserua-
ri, & ad venturam posteritatem constabiliri
queat, nec quisquam habeat, quod obten-
dat, sibi symbolici huius scripti legendi co-
piam facultatemque defuisse, curauimus,
Formulam Concordiæ vtraque lingua, lati-
na pariter & germanica, in minore forma (vt
& viliori pretio comparari, & commodius
circumferri queat) vero, authentico exem-
plari vndiquaque congruentem, exseribi ty-
pis & euulgari.

Proinde & Nostro & tutorio prius nomi-
nato

natorum fratrum nostrorum charissimorum
nomine clementer mandamus vobis singu-
lis ac vniuersis supra dictis, vt quemadmo-
dum proximo conuentu provinciali hac in
parte nobiscum consensistis: sic deinceps
etiam suo quisque loco, pro fide semel nobis
data constanter in eo permaneatis.

Cum primis autem mandamus nostris ad
Scholarum & Ecclesiarum causas deputatis
Consiliarijs, nec non Rectoribus, Doctori-
bus & Professoribus Academiarum, Consi-
storiorum Assessoribus, cunctis Superinten-
dentibus & eorum adiunctis, Pastoribus
& Diaconis; similiter Rectoribus & colle-
gis Scholarum illustrium, & reliquis Ludi-
moderatoribus vniuersim, vnâ cum nostris
stipendiarijs & alumnis, vt hunc librum
sibi quàm commendatissimum esse sinant,
diurna nocturnaque manu terant, debito
studio euoluant, Examina quoque ex eo in-
stituunt, neque quenquâ qui nō librum hunc,
tum subscriptione, tum data per iusiuran-
dam fide approbauerit, ad officia promo-
ueant, adeoque totis viribus huc elaborent, vt
per nostrum hunc inclytum Electoratum
& adiunctas provincias in Scholis & Eccle-
sijs, nihil vel publicè cōtrâ doceatur, vel pri-
uatim inuehatur, quàm charus cuique est
Omnipotentis Dei fauor, nostra Clementia,

propriaq; animæ suæ salus & incolumitas.
Faciatis hoc pacto, quod & officio vestro
congruū, & seriæ constantiq; voluntati No-
stræ consentaneum est, & sumus vicissim vo-
bis clementissimè propensi. Dabantur
Dresdæ, Cal. Augusti. Anno millesimo, sex-
centesimo secundo.



OMNI